





# Dissertatio inauguralis de specificatione

<https://hdl.handle.net/1874/342421>






Universitätsbibliothek

Albstadt

---



- x1. Junius, J. De specificatione.
2. Geer, J. J. de. De societate.
3. Noort, J. van der. De jure dotium.
4. Abiranda, S. da Silva de. De epilepsia.
5. Sylman, J. De mandato.
6. Ringhels, W. De emptione et venditione.
- x7. Vries, J. de. De religione.
8. Hessigius, J. H. De successione Apanagii.
- x9. Raelsius, W. De usucapionibus.
10. Hupeden, W. De privilegiis patris.
11. Bastingius, R. De judiciis et foro competentis.
12. Heirinx, J. B. De ascite.
13. Tomlinson, J. Positiones medicae.
14. Hylman, H. W. De remediis possessoriis in genere et in specie de remediis adipiscendae possessionis.
15. Paunceforte, N. De vesicae et renum calculo.
16. Huntly, R. De scorbuto.
17. Pycke, A. de. De querela inofficiosi testamenti.
18. Nottelman, J. De compensatione.
19. Rhee, W. van. De judiciis.
20. Gruyter, P. de. De jure emphyteutico.
21. Ruytenburgh, R. G. a. De contractu pignorum.
22. Tieleman, A. De restitutione minorum in integrum.
23. Kaldenbach, G. H. De cessione bonorum.
24. Wychgel, R. H. De usufructu.
25. Clay, S. De suppressione menstruorum.

26. Erp, P. van. De familiae eriscundae actione.
27. Rudbeck, O. De fundamentali plantarum noticia rite acquirenda.
- x 28. Lindelius, J. L. De vipera.
29. Schuer, C. van der. De appellationibus.
30. Foyert, Guil. De arbitris.
31. Hast, Th. van der. Ad regulam, qui prior est tempore, potior est jure.
32. Elverfelt, A. C. Theses sive quaestiones juris quaedam illustres.
33. Abexa, S. de. De apoplezia.
- x 34. Royen, J. van. Ad legem Corneliam de falsis.
35. Saldenus, N. De jure deliberandi.
36. Wiltens, A. De fideicommissis universalibus et <sup>secundum</sup> Trebellianum.
37. Rulant, R. De jure expellendi conductores quo singularibus successoribus competit.
38. Brand, P. De fidejussoribus.
- x 39. Schroeder, W. De privilegio Hamburgensium de non appellando.
40. Hersting, J. De hereditate vendita.
41. Voet, D. De podagra sive pedum dolore.
42. Schorer, S. De emptione venditione.
43. Nyckerstoot, H. à De phthisi.
44. Haghen, Guil. van der. De inflammatione in genere.

45. Wachendorff, A. G. Ph. De peripneumonia.
46. Wachendorff, C. A. De jure civis et peregrini.
47. Bennoorden, G. De febribus.
48. Lemmens, H. De inflammatione in genere.
49. Barclay, G. De haemoptoe.
50. Stieden, A. van der. De mutus.
51. Stinnema, P. De dysenteria.
52. Oldenius, N. D. De sputo cruento.
53. Melzinge, R. M. Velters d' De fidejus foribus.



Faint, illegible handwriting, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

1001

DISSERTATIO INAUGURALIS;  
D E  
SPECIFICATIONE.

Q U A M,  
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
JOANNIS GEORGII GRAEVII  
Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii.

N E C N O N  
*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimaque*  
*Facultatis JURIDICÆ Decreto,*  
P R O G R A D U D O C T O R A T U S  
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
ritè & legitime consequendis,  
*Eruditorum examini subjicit*  
J A C O B U S J U N I U S, DELFO-BAT.  
*A. D. 18. Aprilis, horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō lbc xc.



*Venerando Seni*

**D. HENRICO  
VOCKESTAERT.**

**J. C. & Civitatis Delficæ Ex-  
Tabulario Spectatissimo, Pa-  
trono suo ætatem colendo.**

*Inaugurale hoc specimen*

L. M. Q. D. D.

AUCTOR.



DISSERTATIO INAUGURALIS,

D E

# SPECIFICATIONE.

APHORISMUS I.



Ominium est jus in ipsam rei velut substantiam comparatum, quo ea aliquis propria est i. e. ita ad aliquem pertinet, ut secundum idem, eodem modo ac tempore non pertineat ad alium. Acquiritur illud variis modis, confusè adeo in Jure nostro proditis, ut eorum penè nec numerus nec ratio constet, teste Donello *lib. 4. commun. 7.* Quicquid tamen hujus sit, ad duo summa genera haud incommode revocari videntur, ut scilicet (ratione causæ, non tam inventricis quam determinatricis, maxime heic elucentis) alii *NATURALES* sint, alii *CIVILES* §. II. *Inst. de rer. divis. NATURALES*, qui naturali ratione omnibus æque gentibus probantur, communi *OCCUPATIONIS* titulo continentur *arg. l. 3. §. 21. ff. de A vel A. P.* sic deinceps distinguendi. *OCCUPATIO IN GENERE SUMTA* vel vera est, vel ficta. *VERA* fit immediato aliquo facto nostro, arrepta puta possessione: vocatur ea peculiari nomine *APPREHENSIO*: estque alia simplex & originaria, alia mista & derivativa. *SIMPLEX ET ORIGINARIA APPREHENSIO*

A 2

SIO

## D I S S E R T A T I O

*SIO* earum rerum est, quæ actu nullius sunt, fieri tamen aliquis possunt: dicitur illa *OCCUPATIO IN SPECIE* & κατ' ἐξοχῆν̄ accepto vocabulo: inque *VENATIONEM* rerum animatarum, & *INVENTIONEM* inanimatarum divisa recedit. *MISTA ET DERIVATIVA APPREHENSIO* est rerum ab alio jam possessorum & in nos transferendarum: ea κατ' ἀνεύθεταῡ *TRANSUMPTIO* dicenda foret; usu tamen adversus rationem invalescente obtinuit, ut *TRADITIO* appellaretur: credo, quod tradentis, tanquam termini actus à quo, prior heic est contemplatio. *FICTA* occupatio est, quæ fit mediate, vi & beneficio rei nostræ: vocatur ea *ACCESSIO*: estque duplex *ACCESSIO IN SPECIE SIC DICTA*, & *FOETURA FRUCTUUMQUE PERCEPTIO*: in quarum illa vis inest apertior ex implexu rerum, in hæc occultior ex quasi implexu per agnationem rerum. *ACCESSIO IN SPECIE SIC DICTA* porrò vel naturalis est, vel artificialis. *NATURALIS* fit operante naturâ in *ALLUVIONE COALITIONE INSULA IN FLUMINE NATA*, & *ALVEI MUTATIONE*. *ARTIFICIALIS* humanâ operâ perficitur; idque vel durante (ut plurimum saltem) specie, in *ADJUNCTIONE*, *CONFUSIONE*, *COMMIXTIONE*, vel mutatâ, in *SPECIFICATIONE*: de qua bono cum Deo disputationem heic instituimus.

### A P H O R I S M U S   I I .

*SPECIFICATIO* à *SPECIE* dicitur, voce admodum ambigûâ, & ex usu potissimum juris nostri modò *PROPRIE*, modò *IMPROPRIE*, modò *ABSTRACTE*, modò *CONCRETE* accipi solita. Sed nec ipsum quoque Specificationis vocabulum σωμανόμωσ̄ & eodem ubique sensu usurpari videas: aliâs quippe *LATTUS* patet, prout speciebus etiam improprie dictis accommodatur: aliâs *ARCTIUS* constringitur, & proprie dictis tantum subservit: aliâs item *NATURALITER* notat factum, instar causæ sive conditionis sine qua non,  
inter-

interveniens : aliàs *MORALITER* ipsum , qui fit interveniente ejusmodi facto , acquirendi modum. Itaque cum Lauterbachio Specificatio definitur *NOVÆ SPECIEI IN ALIQUAM REM INTRODUCTIO* : Scotano , *NOVÆ SPECIEI EX MATERIA , IN TOTUM VEL PRO PARTE , ALIENA CONFECTIO* : quid , nisi factum illud interveniens describitur ? at vero non de facto isto , sed de ipso acquirendi modo solliciti heic quærimus : proinde rectius alii eam esse ajunt , quum ex aliena materia nova species conficitur *Vult. 1. Spr. 70. Ludiv. exerc. 4. th. 9.* quanquam minus adhuc planè & minus plenè : quando suppresso omninò definitionis genere , ne ea quidem , quæ ad differentiam specificam pertinent , satis exprimunt. Missis igitur istis omnibus , nobis *SPECIFICATIO* fuerit *MODUS , QUO NOVA ALIQUA SPECIE EX ALIENA MATERIA , NOSTRO NOMINE , CITRA CONSENSUM MATERIARI , CONFECTA , RES ALTERIUS VI FORMÆ , QUAM DEDIMUS PRÆVALENTE , NATURALI JURE NOBIS ACCEDIT.*

## A P H O R I S M U S I I I.

Ut autem explicatius demus , quæ breviter strictimque in definitione tetigimus , en duo nobis capita ulterius persequenda , *SPECIEI* scilicet *CONSTITUTIONEM* , & *CONSTITUTÆ FUS CONSEQUENS*. In *CONSTITUTIONE* occurrunt tum materia & forma , tum modus hanc illi inducendi. *MATERIA* declaratur ab adjuncta qualitate sive relatione morali , ante speciei novæ constitutionem in quovis alio extra specificantem terminandâ , quatenus scilicet *ALIENA* sit oportet. Et igitur (1.) alicujus esse debet. Ratio : quia in re , quæ nullius est , simplici apprehensione defungi licet , nequid temere obliquam specificationis viam affectemus. Ex eo ipso autem , quod materia alicujus esse debet , palam est , errare Struvium aliosque , qui specificationem ori-

ginariis acquirendi modis accensent. (2.) Specificantis esse non debet. Ratio: quia huic acquirenda supponitur. Atqui quod meum est, amplius meum fieri non potest *l. 14. §. 2. ff. de except. rei jud.* Illud vero necesse non est, ut omnis pro-  
tinus, quæ in speciem adhibetur, aliena sit materia, sed sufficit pro parte saltem esse, quod acquiri possit. §. 25. *Inst. de R. D.*

## APHORISMUS IV.

Circa *FORMAM* triplex est observatio: (1.) primò enim ratione essentiali requirimus, ut *VERA* sit forma, quæ det esse rei, atque adeo unde totum corpus principaliter æstimetur. Summovemus hinc itaque accidentariam quamcunque figuram, quæ corpori in se salvo i. e. salva manente ejusdem formâ principali, extrinsecus præter essentialiam accedit: velut si quis ex ære meo statuam, vel argento scyphum fecerit *l. 24. ff. de A. R. D.* vel si quis lanam meam purpura tinxerit *l. 26. §. ult. ff. eod.* (2.) Deinde ratione existentia, comparatis temporum vicibus declarata, *NOVA* sit oportet: quæ antè non extiterit in materia, immo nec quasi etiam extiterit i. e. in potentia ad actum proximâ fuerit. Etenim detegi, non induci ejusmodi dicitur forma, quæ, cum actu jam inesset, sublato tantum, quo hætenus latebat, materia involucro visui exhibetur *l. 7. §. 7. in fin. ff. h. r.* Tum verò potentia actui propinqua passim pro actu habetur, notante Baldo *in l. 43. ff. de restam. milit.* Verum ergo veræ ac propriè sic dictæ specificationis exemplum non est in frumento ex spicis alienis excusso *l. 7. §. 7. in fin. ff. h. r.* sed nec in vino ex uvis, aut oleo ex olivis, aut vestimento ex lana (huic scilicet usui jam præparatâ, i. e. panno) alterius confecto *l. 12. §. 3. ff. ad exhib.* nihil obstat §. 25. *inst. de R. D.* ubi ejusmodi frumentum, vinum, oleum, inter specificationis exempla referuntur. Incuriâ enim Triboniani contigit, ut ommissa restrictione (in calce *l. 7. §. 7. ff. de A. R. D.* unde descriptus est §. 25. *inst. de R. D.* sub-

subjecta, & ob paritatem rationis ad alia quoque porrigendâ) specificationis quasi exempla recenseri videantur, quæ revera inde aliena sunt, & non nisi illustrando reducibilium & irreducibilium discrimini adhibentur. Nec quicquam obstat *l. 26. pr. ff. de A. R. D.* ubi vestimento factò, non manere lana, sed laneum corpus fieri dicitur. Loquitur enim de lana rudi, nec dum in pannum coactâ, quæque adeo in potentiâ ad recipiendam vestimenti formam remotâ sit: unde quod factum est vestimentum huc utique pertinet. *Bachov. ad §. 25. inst. de R. D.* Sed quid de navi ex alienis tabulis confectâ dicemus, hucine illa pertinet, an non? ego sane nullus dubito, quin ea cæteris paribus genuinum hujus loci exemplum præstet *d. l. 26. pr. ff. de A. R. D.* Cui (secus ac Hottomannus *ad §. 25. inst. de R. D. Gilb. reg. 2. evanl. 16.* aliique existimant) non obstat *l. 61. ff. de R. V.* quippe quæ de adjunctione, non de specificatione, agit. videtis *Διὸς νέπευ* quondam Salanos, *D. Stranch. dissert. 6. aph. 50.* & *D. Struv. exerc. 41. th. 40.* rejectis commentis *Cujacii in not. post. ad §. 25. inst. de R. D. Ant. Fabri 6. conject. 15. Alb. Gentilis 4. lect. 17. Connani 3. comm. 6. (3.)* Postremo ratione effectus, necesse est, ut proveniente formâ ejusmodi verâ ac novâ, deleatur forma, & consequenter etiam substantia seu species prior *l. 9. §. 3. ff. ad exhibend.* non quod ad actum modo, sed etiam quod ad potentiam, ita ut nec reduci ulla arte queat *l. 7. §. 7. in fin. ff. de A. R. D.* Unde e contrario si reduci possit, non interiisse, sed potenter usque manere intelligitur pristina substantia: estque illud indubitatum signum, nec formam essentialem accessisse, nec speciem inde veram constitutam esse. Neque tamen adæquata & convertibilis heic est causæ & effectus ratio, ut, quemadmodum omnis forma essentialis irreducibile facit corpus, ita contra omne quoque corpus irreducibile protinus ex forma essentiali tale sit; uti patet exemplo frumenti, quod ad spicas, unde excussum est, reverti nequit, & novâ tamen formâ essentiali simul auctum negatur in *d. l. 7. §. 7. in fin.*



## APHORISMUS V.

Hæc de ipsis partibus speciei essentialibus. *MODUS* porro *CONSTITUENDI* vel *NATURALIS* est, veluti mulsi ex vino & melle mixtura, emplastri collyriive ex medicamentis compositio, vestimenti ex lana confectio, navis, armarii, aut subsellii ex tabulis fabricatio, &c. § 25. *inst. de R. D.* vel *MORALIS*, per certas quasdam leges ad obtinendum effectum moralem necessarias, definitus: ita ex parte specificantis requiritur, ut suo sibi nomine faciat. l. 7. §. 7. ff. de *A. R. D.* de quo infra *Aph. 9.* ex parte materiarii, ut citra ipsius consensum fiat: isthoc enim interveniente vitiatur specificatio, & in aliud omnino jus degenerat d. l. 7. §. 8. l. 25. ff. *cod.*

## APHORISMUS VI.

Absolvimus primum disputationis nostræ caput, *SPECIEI* scilicet *CONSTITUTIONEM*: sequitur nunc alterum *CONSTITUTÆ FUS CONSEQUENS*; duplici deinceps positione expediendum, quatenus nimirum de *DOMINIO EX UNA PARTE ACQUIRENDO*, deque *DAMNO EX ALTERA PENSANDO QUÆRITUR*. In Domini acquisitione (quæ nihil aliud est, quam novæ cujusdam inter rem & personam relationis moralis inductio) tria hæc spectanda veniunt. Subjectum, terminus, & fundamentum relationis. *SUBJECTUM* est Res personæ tribuenda: eaque, si accuratè loqui velimus, non tota substantia sive species nova, sed altera duntaxat ejus pars essentialis, puta materia aliena, quum forma longè alio, quam specificationis jure (prout illud heic quidem accipimus) quæsitum ipsum auctorem sui dominum respiciat. Quia tamen arctissime invicem junctæ & quasi complicatæ in eodem supposito exhibentur partes essentielles, fit ut populariter fere loquantur nostri, & per synecdochen totius speciem acquiri dicant: nisi pro

si pro tuendâ ipsorum *âmplicia* id ita interpreteris, ut utique verum sit, speciem hoc casu acquiri, sed, pro distinctione partium essentialium, alio atque alio jure.

## A P H O R I S M U S V I I.

*TERMINUS* velationis est *SPECIFICATOR*: isque solus ex Proculi sententiâ, quam ego naturæ convenientissimam puto, immo etiam ipso Jure Civili nusquam vel a Cajo in *l. 7. §. 7. ff. de A. R. D.* vel ab Imperatore in *§. 25. Inst. de R. D.* rejectam, sed veris suis limitibus restitutam ac cohibitam, ne, quod partium opinor, studio vel odio fere contigerat, ad ea quoque, quæ novarum specierum neque nomen tueri valent, neque jure censerî merentur, temere porrigeretur. Nihil obstat, quod certo quodam casu, etiamnum secundum Cassium statuatur, specie materiario cedere jussâ *d. l. 7. §. 7. ff. de A. R. D. §. 25. inst. de D. R.* Quis enim non videt, rem, quæ abusivè ibi nova species appellatur, non specificationis, sed adjunctionis jure materiario addici? Neque etiam unquam hanc Cassii sententiam fuisse arbitror, ut ipso specificationis jure materiarium rei suæ ornamento augeri postulârit: immo vero nullo potius peculiari specificationis jure agnito, uniformem ubique accessionis, quæ per adjunctionem fit, rationem asseruisse videtur, merito propterea a Justiniano castigatus & in ordinem redactus. Inclytum illud civitatis meæ decus *Hugo Grotius lib. 2. de I. b. & p. Cap. 8. §. 19.* naturalem, uti loquitur, veritatem respiciens, videre sibi videtur, ut specificatione res utrinque communis fiat. Et ergo existimat vir summus hanc, quam dedimus termini assignationem civili cuidam instituto deberi, quum natura utrique parti pariter faveat. At verò, quum natura, quod inter omnes constat, salutem generis humani, & consequenter pacem, sine quâ illa haberi nequit, primo omnium loco intendat: quâ, quæso fieri potest, ut rem communi (parati usque litigii causâ) implicatam potius, quam aliâ commodiore viâ explica-

tam male intelligatur? Nec quicquam facit exemplum a confusione petitum, ubi, quam, ob parilem hinc inde rationem, juxta & materię conditionem, evitare nequit, ferre magis, quam optare communionem natura videtur.

## APHORISMUS VIII.

Utut autem soli, non tamen omni protinus specificanti hoc modo acquiritur, sed ei demum, qui acquirendi domini voluntatem pariter & facultatem habet. De *VOLUNTATIS REQUISITO*, quod animo habendi & *SUO NOMINE FECISSE OPORTEAT*, textus est in l. 7. §. 7. ff. de *A. R. D.* ratio vero manifesta in l. 53. ff. *ead. junct. l. 1. §. 1. ff. de A. vel A. V.* quod scilicet possessio, a qua omnis naturalis acquisitio incipit, non nisi volentibus quæritur. Si quis ergo citra animum sibi habendi, alieno nomine speciem fecerit, res ejus erit, cujus nomine species facta est l. 25. ff. de *A. R. D.* arg. §. 5. *Inst. per quas person. cuiq. acquir. habebiturque* ita pro specificatore etiam is, qui fieri jussit, mandavit, locavit: quandoquidem jure nostro nihil interest, operam quis an auctoritatem præstiterit, per se an per alium quid fecerit arg. l. 3. §. ult. ff. de *donat. int. vir. & ux.* Ad *FACULTATEM* pertinet, Nequis potiore alterius alicujus jure extrinsecus interveniente excludatur vel impediatur, quò minus formæ, & consequenter ipsius formati dominus fiat. Ita si v. g. Titius ex materia Casti infundo Sesi ædificaverit, non ipsi Titio, sed Sejo cedit ædificium, vi soli, cui adjungitur §. 29. 30. *inst. de R. D. l. 7. §. 10. ff. de A. R. D. l. 39. ff. de R. V.*

## APHORISMUS IX.

De *BONA FIDE* heic quæritur, numquid & eâ opus sit ad effectum acquisitionis? Affirmant Gloss. & interpretes communissime ad §. 25. *inst. de R. D.* idque ipsum, licet nuf-

nusquam disertè exprimitur, ex eo tamen, quod *Gajus* in *l. 7. §. 7. ff. de A.R.D.* addit *SUO NOMINE*, satis intelligi volunt. Adducunt porro *l. 12. §. 3. ff. ad exhib.* quasi mala fides ibi impediatur acquisitionem. Et denique nemini dolum suum prodesse debere dicitur, juxta *l. 2. ff. de eo per quem fact. l. 5. ff. si quis caus. in jud. sist.* Verum enim verò ego his omnibus adduci non possum, ut ad stipuler: tum quod nullo usquam textu de bonâ fide heic adhibenda quicquam expressè cautum lego: tum quod nulla suppetit ratio, cur mala fides acquisitioni in specificatione magis, quam in adjunctione impedimento esse debeat: immo vero, quod in *§. 26. inst. d. R. D.* de purpura furtim surreptâ & vestimento intexta statuitur, generalem omninò habet rationem, speciatim deinceps applicandam, videlicet non personæ (cujus fortè factum intervenit) virtutes & vitia, sed vim & potestatem rei, in acquirendo per accessionem dominio spectari. Et nimirum istuc ipsum *ἁπλοῦς* interpretum *ἁπλοῦς* est, quod perversa heic ratione in facto collocant acquisitionis momentum: quo posito non possunt non urgere bonæ fidei requisitum, & si qua alia ejusmodi sunt *ἄτομα*. Facili porro negotio evertitur triga illa ficulnorum argumentorum initio adductorum. Primo enim inconsequens est illud, quod ex verbis *SUO NOMINE* fingunt, bonæ fidei consequens: Quum & mala fide quis suo nomine facere possit, & prædo fundum alienum suo nomine possideat. Deinde ex allegata *l. 12. §. 3. ff. ad exhib.* neutiquam efficitur id, quod isti volunt: quandoquidem non de ipso acquirendi momento ibi agitur, sed de actione materiario danda, quæ pro discrimine bonæ malæ fidei omnino variat, sive translatum dicas dominium, sive non: quod posterius utique supponit Paulus in casu *d. l. 12. §. 3.* longè tamen alia ex causa, quam quod mala fide vitari acquisitionem autumat: vid. supra aph. 4. Et rectè id equidem: quanquam Imperator eodem casu in *§. 25. inst. de R. D.* pinguius relato, in diversum ferè abire videatur. Postremò malæ fidei specificatori non dolum (qui in facto, principaliter heic non spectato, versatur) sed res sua prodest.

APHO-

## APHORISMUS X.

**FUNDAMENTUM** relationis aliud proximum est, aliud remotum. **PROXIMUM** quod attinet, non factum aliquod, aut meritum personæ est, quod hinc attenditur, sed **VIS AC POTESTAS REI PRÆVALENTIS** puta **FORMÆ**. Etenim oppido quam iniquum & contra omnem juris rationem foret, hæcenus cuiquam indulgere, ut mero suo facto alteri præter ipsius voluntatem aut meritum rem suam auferre valeret. Nihil obstat, quod, quemadmodum paternitatis fundamentum est genuisse: ita & specificationis fundamentum videatur speciem fecisse. Est enim clenchus similium, nec sequitur, si illic, ergo & hinc fundamentum relationis est actio sive factum, ubi illud conditionis duntaxat sine qua non, uti vocant, instar obtinet. In ineundâ verò præstantiæ ratione, non manus pretium, ut perperam vult *Connanus 3. comm. 6.* item *Hottomannus ad §. 25. inst. de R. D.* sed ipse transformationis eventus inspicitur. quo forma materiam subigit, & subactæ quasi dominatur. Et sanè expedire rem jubemur secundum reducibilitatis & irreducibilitatis differentiam, quæ ex naturali rerum conditione proficiscitur, nec quicquam cum pretio commune habet. Nihil obstat *l. 13. §. 1. ff. de V. S.* quippe quæ de externâ tantum transfiguratione loquitur, ubi mutatâ formâ accidentaria corpus i. e. species manet. cuius exemplum est in *§. 34. inst. de R. D.* non de specificatione, ubi corpus, i. e. species prior per succedentem formata novam extinguitur vid. *Alb. Gentil. 4. lect. 16.*

## APHORISMUS XI.

Cæterum his ita positis tria porro consequuntur. Primum est, **PERSONÆ VITIÆ IN SPECIFICATIONIS ACTU COMMISSA NIHIL IMPEDIRE HUNC ACQUIRENDI MODUM**: qua de re jam supra aph.

9. disputavimus. Alterum est, *NON EMINENTE VI FORMÆ SPECIFICATORI QUÆSITÆ, NEC FUS SPECIFICATIONIS ULLUM OBTINERE.* Ita nec massa ex meo & tuo argento conflata huc pertinet l. 3. ff. de R. V. nec mulsum ex meo melle & tuo vino, casu quodam fortuito ortum §. 27. *inst. de R. D. Bacchov. & Vinn. ibid.* nec schypus ex auro partim proprio, partim alieno confectus: utut enim fictori forte cedat per §. 25. *inst. cod.* id tamen non tam vi formæ, & jure specificationis fit, quam vi materiæ qualicunque per formam istam accidentariam supplemento auctæ, atque adeo jure adjunctionis.

APHORISMUS XII.

Tertium quod ex superioribus efficitur, est, *SPECIFICATIONEM ACCESSIONIS QUANDAM ESSE SPECIEM.* Nec obstat, quod forma naturâ suâ sequatur materiam, cui tanquam fulcimento innititur: non vice versâ arg. l. 23. §. 3. ff. de R. V. Neque enim heic de naturali rerum ratione, secundum existendi consecutionem, agimus: sed de morali earundem dispositione, juxta dominandi vim & eminentiam instituta; quâ fit ut susque deque habito naturæ illo ordine, id, quod accessorium alias foret, principalis vicem subeat, & contra. Simile quid habes in §. 34. *inst. de R. D.* ubi tabula picturæ cedere jubetur. Donellus 4. *comm.* 12. & Vinnius 1. *Ipr.* 18. ad occupationem strictè sic dictam rectius referri specificationem autumant. Sed quam rectè, vel ex oppositione disparium hinc inde objectorum patet, occupatione quidem circa res nullius, specificatione verò circa alienas versante. §. 12. & 25. *inst. d. 1.* Nec quicquam ipsi præsidii est in arg. l. 9. §. 3. *in fin. ff. ad exhibend. junct. l. 7. §. 7.* ibi, *QUIA, QUOD FACTUM EST, ANTEA NULLIUS FUERAT* ff. de A. R. D. Manente enim materiâ sola forma mutatur; quo facto sane non simpliciter, sed secundum quid (ac prope, ut cautè loquitur Ulpianus in d. l. 9. §. 3.) perimi simul & produci sub-

stantiam manifestum est. Jam autem non de formâ, sed de materiâ acquirendâ heic agimus, quæ continuâ formarum successione ab uno in alium transfertur, ita ut ne momento quidem temporis dominio vacare intelligi possit. Sunt & qui specificationem medium quoddam inter occupationem & accessionem genus faciunt: idque modo participationis, modo negationis esse contendunt. Verum si ad ea, quæ hæcenus à nobis disputata sunt, probè attenderit, facile, puto, apparebit, quid de ea re habendum sit.

A P H O R I S M U S X I I I.


*FUNDAMENTUM REMOTUM* est *IPSIUS NATURÆ FUSUS* §. 11. & 25. *inst. de R. D.* Positis enim ex unâ parte specie confectâ: ex altera evidentissimis illis de pace colendâ, atque adedò nemine invito communioni adstringendo, de altero non lædendo, &c. juris naturalis principiis: tum vero negatâ commodiore alia explicandæ rei copiâ: consequens est, ut qua unicè patet exitus, specificatio ipsius naturæ jussu constituta intelligatur. Nec obstat, quod jura naturalia firma semper atque immutabilia permaneant §. 11. *inst. de J. N. G. & C.* Specificationis verò alia atque alia ex diversis Jctorum placitis fuerit determinatio, uti §. 25. *inst. de R. D.* inspicienti palam fit. Neque enim Jctorum errores rei veritati quicquam præjudicant, nec tam spectandum est, quid factum fuerit, quam quid fieri debuerit.

A P H O R I S M U S X I V.

Expeditis iis, quæ ad dominii acquisitionem pertinent, restat ut de *DAMNI QUOQUE PENSATIONE* tribus verbis dicamus. Etenim ita demum specificanti jura favent, ut tamen simul locupletari eum cum alterius detrimento nolint *l. 206. ff. de R. J.* Tenetur is itaque materiarior: quanquam pro bonæ malæve fidei discrimine alia atque alia actio.

actione. Quod si enim suam putans materiam, speciem inde finxerit, *SUBSIDIARIA* duntaxat *IN FACTUM ACTIONE* convenietur l. 23. §. 5. ff. de R. D. idque ex sententia L. Aquiliæ, tanquam de damno dato. l. 11. ff. de præsc. verb. Sin alienam sciens, idem fecerit, *ACTIONE AD EXHIBENDUM* arg. l. 9. §. 3. & l. 12. §. 3. ff. AD EXHIBENDUM: non quidem directâ ut qui rem alterius adhuc possideat: sed utili, ut qui eam possidere dolo defierit §. 6. inst. *SED SI NUMMI* inst. quib. alien. lic.

F I N I S.



TRAJCTI RUM.

FRANCISCI...  
Typographi...



A. G. PICHTELI OLDENB.

Ad Candidissimum Dominum Candidatum,

D E

# SPECIFICATIONE

DISSERENTEM,

*Ἐπίγραμμα.*



U mihi materies; ego formæ sum tibi  
fictor,  
Mi Juni, species, dic age, cujus  
eris?

Non equidem potis es quod scis nescire, nec arte  
Abjectâ fieri rursus, ut ante, rudis.

Ecce tamen proprio non feci nomine: sed Te  
Conductore suum dextra peregit opus.

Ergo mihi nihil est quæsitum jure, sed omnis.  
Es tuus: esse meus, Te tamen oro, velis.

